



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. II. De Causâ totali & partiali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

DISPUTATIO NONA.

De Causâ efficiente in communi, & de eius causalitate.

IN vltimum locum reieciimus causam efficientem, vtpote principaliorē, & ad quam ordinatur aliarum causarum cognitio, & de quâ ex professo longius erit disputandum.

SECTIO I.

Definitio & diuissio Cause efficientis.

ARISTOTELES in præsentī capite 2. & 3. definiuit causam efficientem, scilicet esse, unde primum principium est mutationis aut quietis. Hæc definitio non conuenit causæ creati, quæ vt sic non est principium motus & quietis: item nec conuenit causis creatis, quæ non sunt prima principia.

Sed dices, non debere causam efficientem esse primum principium, sed id à quo est primum principium. Contrâ, ergo solum causa produciens materiam & formam, erit causa efficiens, quia solum materia & forma sunt prima principia mutationis, quare nullum accidens habebit causam efficientem, quod est falsissimum. Deinde, etiam materia respectu formæ materialis erit causa efficiens, quia est id vnde est forma, quæ est primum principium mutationis.

Alij verò eam sic definiunt: *Causa est quæ per se tribuit extrinsecè esse effectui.* Sed contrâ, quia plures causæ efficientes non dant extrinsecè esse effectui, scilicet causæ immanenter operantes. Nec potest responderi, eas causas non id habere ex conceptu causæ efficientis vt sic; non, inquam, hoc potest dici, quia siue ex conceptu causæ efficientis vt sic, siue aliunde, verè illæ causæ non operantur extrinsecè: vnde illis non conuenit definitio. Sicuti etiam non potest definiri animal vt sic, esse irrationale, quia tunc non comprehenderet hominem, qui est animal rationale, licet nõ conueniat illi rationalitas ex conceptu animalis vt sic. Ratio à priori est, quia quando definitur aliquod genus de se indifferens ad duas species, nequit poni in definitione illius aliqua ex differentis specificis: nam ratione illius iam ea definitio non est propria generis, sed speciei, & redidit repugnans alteri speciei, quod est contra rationem generis.

Vt ergo prædicta definitio omnes causas efficientes comprehendat, addendum illi est, *ex præciso conceptu efficientis*, per quæ verba etiam includuntur causæ immanentes, quæ ex præciso conceptu efficientis non operantur immanenter; id enim habent ex eo quod simul sint causæ materiales. Quam definitionem in re tradit Hurtadus Disputatione 9. §. 2. verbis licet diuersis, quæ videntur habere aliquam difficultatem, ait enim: *Est principium per se influens in aliud præcisâ mutatione sui ex præcisâ ratione influxus.* hæc enim verba, *ex præcisâ ratione influxus*, etiam conueniunt causæ materiali, quæ ex præcisâ ratione influxus non immutatur. non ergo debet dici ex

præcisâ ratione influxus, sed *ex præcisâ ratione causæ efficientis*, sicut à me dictum est.

Sed obicies, hanc non esse rectam definitionem, quia non datur per positium, sed per negatium; sicut si quis definiret animal esse, quod ex conceptu suo non est rationale, sine dubio inopre definiret animal. Fateor, definitionem eiusmodi non esse admodum perfectam, ac si daretur per positium; sed quia nobis non innotescit positium differentia inter causam efficientem & materialem, ideo ea differentia præcisè explicatur per negationem, licet secundum rationem communem causæ materiali & efficienti explicetur per positium, quo fit, vt illa definitio non detur omnino per negationem, sicut daretur illa, *animal est quod non est rationale*, quæ sine dubio esset vitiosa, vt in obiectione docetur. nec est nouum, multas species definire per negatium, sicut brutum, prout opponitur rationali, & commune est omnibus aliis animantibus, non definitur nisi per negatium.

Causa efficiens diuiditur Primò in *primam & secundam*: illa est Deus, hæc creatura. Secundò in *uniuocam & æquiuocam*. Vniuoca est, quæ producit effectum eiusdem rationis & speciei cum se ipsâ, vt ignis respectu alterius ignis. Æquiuoca est, quæ producit effectum speciei diuersum à se, vt Deus respectu creaturarum, ignis respectu caloris. Tertiò in *vitalem* seu immanenter operantem, & in *non-vitalem* seu extrinsecam: illa est, quæ in se recipit suum effectum; hæc verò, quæ illum non recipit. Quartò in *liberam & necessariam*. Illa est, quæ, positis omnibus prærequisitis ad operandum, potest operari aut non operari, vt voluntas respectu actus amoris: hæc, quæ omnino determinata est ad operandum positis requisitis, vt ignis ad calefaciendum, sol ad illuminandum: de quibus nonnihil infra, & in libris de Animâ fusiùs. Deinde in *instrumentalem & principalem*, de quibus Sectione 7. Tandem in *totalem & partialem*, de quibus Sectione 2.

SECTIO II.

De Causâ totali & partiali.

DIFFICULTAS hæc nulla videtur esse: illa enim est causa totalis, quæ adæquatè concurrir; illa partialis, quæ inadæquatè & simul cum aliâ. Hæc ex terminis nota sunt: illud difficile, quod P. Vázquez, quem Hurtadus Disputatione 9. sect. 5. sequitur, docet de modo dignoscendi causam totalem & partialem alicuius effectus. Ait ergo Vázquez, quando omnes formalitates, quæ sunt in effectū, continentur formaliter vel eminenter in causâ, tunc eam esse adæquatam, nec tunc dari locum pro aliâ concausâ simul influente: v. g. effectus est ens, substantia, viuens, si causâ sit ens, substantia, viuens, tunc est adæquata, nec relinquit locum pro aliâ concausâ, quia non remanet formalitas vlla quæ illi tribuitur.

H h

buatur. Hanc doctrinam sæpè repetit Vasquez, eamque absolute etiam amplectuntur aliqui recentiores.

Hanc ego omnino puto, absolute loquendo, falsam esse. Et quidem id Primò ostendo, quia Deus continet omnes formalitates & prædicata effectus creati, & tamen relinquit locum causis creatis, ergo falsum est, causam continentem omnes formalitates effectus, non relinquere locum alterius consortio. Respondet P. Hurtadus, Deum concurrere liberè, & posse temperare suum concursum, quod non habent causæ creatæ. Sed contrà manifestè, illam attemperatorem, quam Deus habet ex libertate, cur non poterunt habere ex naturâ suâ & necessitate causæ aliquæ creatæ? id est, ut, licet sint æqualis perfectionis cum effectu, non possint tamen nisi partialiter concurrere, & in hoc differant à Deo, qui & totaliter & partialiter pro libitu potest. Secundò idem ostendo in ipsis causis creatis: licet enim ignis v. g. sit æqualis perfectionis cum altero igne, & nulla sit formalitas quæ in igne non contineatur, relinquit tamen locum pro Deo, ergo.

Dices fortè, Deo tribui rationem entis. Contrà, hæc tribui potest & igni, qui etiam est ens universalis ignis.

8 Dices: Ex eò quòd ignis sit creatura, debet Deo pendere. Contrà, perfectissimè erit creatura, etsi mediâtè solum à Deo causetur.

Dices, ibi requiri concursum Dei propter alias rationes. Benè, hoc libentissimè admitto, sed hinc ostendo, tuum principium malum esse vniuersaliter loquendo: nam licet sint omnes formalitates effectus in vnâ causâ, poterunt esse aliquæ rationes, quare alia causæ requirantur, sicut sunt ut requiratur Deus in exemplo posito.

Tertiò idem ostendo: tam intellectus continet formalitates intellectuales, quam voluntas volitionis; sed propter hanc continentiam, per te voluntas sola efficit volitionem, sine concursu habitus naturalis, ergo etiam intellectus efficit intellectum sine concursu effectiuo speciei impressæ. Respondent aliqui, speciem non posse aliter determinare intellectum, nisi concurrente efficienter, quia non est propositio formalis. Sed

9 contrà Primò, quia etiam habitus voluntatis non est cognitio aut propositio formalis obiecti, & tamen in illorum sententiâ non solum determinat, sed & inclinât sine causalitate efficiendi; cur idem non præstabit species impressæ? Contrà Secundò, ergo non obitante illorum principio de continentia omnium formalitatum, inuenitur ratio cur possit influere species impressæ, ergo illa ratio vniuersaliter loquendo non est vera, quod ego contendo. Contrà Tertiò, quia si semel ex continentia omnium formalitatum, supponunt intellectum esse causam adequatam, non est cur defatigentur, ut faciant locum speciei impressæ; non enim debet queri locus pro causâ, nisi quando alia non sufficiunt, nec debet dici, alia non sufficiunt, ut hæc possit habere locum.

10 Tertiò, in causis æquivocis est valdè difficile ostendere, quomodo continentur omnes formalitates. Quod enim aliqui dicunt, absolute causam perfectiorem continere omnes formales effectus, est falsum. Homo enim & bruta in sententiâ ipsorum sunt absolute & simpliciter perfectiora quàm sol, & tamen homo non continet

virtualiter vim illuminatiuam, ut posset esse causa adequata solis, nec eandem vim illuminandi & calefaciendi continet vermiculus, qui est sole perfectior. Imò etiam sol sit absolute loquendo perfectior quàm planta (ut ipsi docent) non tamen continet vitalitatem plantæ; ergo non sufficit sol ad productionem plantæ, quod tamen ipsi negant: sicut habitus supernaturalis, licet sit perfectior quàm actus, quia non continet vitalitatem actus, non sufficit solus ad eum actum. Nec possum percipere, quomodo propter vitalitatem actus requiratur vitalis voluntas cum habitu, & propter vitalitatem plantæ non requiratur simul cum sole, quantumcumque perfectiori, principium vitale.

Dices: Quia sol continet adequatè virtualiter vitalitatem. Sed contrà: quia si de continentia virtuali, id est de vi productiuâ loquaris, petis manifestè principium, de hoc enim est tota questio; & similiter ego dicam, etiam virtualiter habitum supernaturalem continere adequatè vitalitatem, eò quòd sit perfectior. Vel assigna mihi differentiam; sed sit sine petitione principij. Si autem loquaris de continentia in esse entis, ex qua inferimus continentiam in esse causæ, falsum est Antecedens, quia sol tam non est vitalis, quàm habitus supernaturalis non est vitalis. Ratio à priori euidētissima huius Conclusionis est, quia potest esse vna res perfectior alterâ absolute loquendo, etiam si multa alia prædicata illius, quæ exceditur, non contineantur in excedente, sed potius in eis inferior excedat secundum quid; ergo tunc ea res perfectior non potest esse causa adequata alterius, quia ad hoc non sufficit ut contineat aliquid prædicatum quo illam excedat, sed oportet ut etiam contineat alia prædicata, quia nihil dat quod non habet; sicut licet adamas sit auro perfectior, non idèò continet prædicata omnia auri, ut possit ea adequatè producere.

Tandem idem ostenditur in causâ materiali, quæ verè influit, iuxta horum Auctorum sententiam, & tamen, quæ est formalitas in calore quæ calori non tribuatur, sed debeat respondere subiecto? Idèò in hac re Primò dicendum puto, quod & sæpè alibi insinuaui, sicut possunt esse aliqua entia æqualia omnino aliis in perfectione, quæ tamen nullo modo sint nec partialiter operatur alterius (sic adamas non est vllò modo alterius adamantis productiuus, sic nec aurum auri, nec ferrum ferri, nec lignum ligni.) alia verò esse, quæ adequatam habent virtutem (sicut calor respectu caloris, frigus respectu frigoris;) ita nunc dico, me nullam nec apparentem posse assignare repugnantiam in eo quòd sit vna causa secunda, quæ licet omnes formalitates effectus contineat, non tamen sit tam sterilis sicut adamas, nec tam potens sicut calor respectu caloris, sed possit in adequatè & partialiter simul cum aliâ concausâ producere effectum sibi vel omnino similem, vel imperfectiorem multo. Certè hoc, explicatis terminis, videtur euidētissimum.

Dices fortè: Virtus actiua est idem realiter cum entitate, ergo si entitas est æqualis, & virtus actiua est æqualis. Sed retorqueo argumentum: Ergo omnis res æqualis alteri, in perfectione habet etiam æqualem virtutem illam producendi. Sic calamus producit calamum, & lignum lignum, & Angelus Angelum, & ignis ignem, etiam line Dei

Dei concursu, quia hæc omnia sunt æqualia alteri extremo, & habent virtutem aliquid producendi; ergo habent virtutem æqualem, ergo adæquatam. Respondeo, essentiam & virtutem actiuam esse idem realiter, inde autem quid infertur? ergo sicut essentia in essendo est æqualis, ita virtus actiua in essendo erit æqualis: retentis enim iisdem terminis, quidquid prædicatur de essentia, prædicatur de virtute illi identificate; at sicuti non potest dici, *essentia est sola potens efficiere*, ita nec potest dici, *virtus est sola potens producere*, nec confundendi sunt termini, æqualis illi in perfectione, & potens illam adæquate producere. Vel si vis alios terminos clariore, quibus hanc æquiuocationem depellas, dic, *essentia huius est æqualis illi essentia, ergo virtus huius est æqualis virtuti illius*. Bona consequentia, transeat, hinc autem solum infertur, tam actiuam esse vnam quam alteram, at inde quomodo infertur, quamlibet adæquate posse alteram producere? longè enim aliud est, *sum illi æqualis in virtute operandi*, & longè aliud, *possum illum adæquate producere*: homo enim est æqualis homini in virtute operandi, non potest tamen adæquate illum producere; & duo Angeli sunt sibi æquales in virtute operandi, non tamen inuicem se non solum adæquate, sed nec inadæquate possunt producere.

15 Secundo dicendum puto, absolute loquendo posse esse aliquam causam, in qua nullam in genere entis reperimus formalitatem, quæ in effectu ei specialiter respondeat, & tamen ad illum possit concurrere saltem partialiter. Probo à simili ex specie impressâ, vbi illimet Philosophi nullam inueniunt talem formalitatem; solum enim admittunt concursum illius, quia non vident modum quomodo possit concurrere formaliter. Si enim reperirent formalitatem quæ illi responderet, etiam si formaliter posset concurrere, tenerentur tamen iuxta sua principia dare locum speciei in concursu efficienti: ergo si de facto dant, eò quod aliter non potest concurrere, dant illi concursum sine vllâ formalitate & respondente, quod contendo. Secundo id probo ratione, quia causæ possunt ex aliis capitibus requiri quam ex formalitatibus, sicut requiruntur conditiones, & alia multa.

16 Tercio tandem dico, licet hoc absolute ita verum sit; quando tamen non videmus specialem aliquam necessitatem, & experientia videtur docere aliquam rem influere in aliam, debere nos dicere, si sit omnino æqualis, eam concurrere totaliter, & non debere illi limitare concursum. In hoc acquiesco illorum Doctorum sententiæ, & hoc modo de facto damus regulam fixam ad dignoscendam causam totalem, de quo ipsi valde videbantur esse solliciti. Ratio huius est, quia licet res æqualis perfectionis cum effectu & operatione illius, possit ex occultâ nobis ratione aliquando indigere concursu alterius concause, quando tamen de illâ occultâ & speciali indigentia nobis non constât, non debemus illi virtutem limitare. Sic ergo dico, frigus adæquate producit frigus, & calor calorem, & forma ignis aliam formam: at in Deo respectu creaturarum, & in aliis rebus, vbi concausas alias requirimus, licet id non proveniat ex diuersis formalitatibus, quia verò habemus alias rationes particulares virgen-

tes ad admittendum talem concursum, idèolum admittimus; vbi autem hæ rationes cessant, adæquatus influxus tribuitur causæ continenti omnes formalitates effectus; & hoc modo consequenter in omnibus materiis, vbi de hac realiquid agetur, Deo duce, discurremus.

SECTIO III.

Utrum causalitas Causæ efficientis distinguatur à causâ & effectu.

Causam efficientem habere etiam suam causalitatem, est tertio certius ex dictis de aliis Causis: vtrum autem ea distinguatur ab ipsâ causâ & effectu, in præsentī explanandum est.

SUBSECTIO PRIMA.

Distinguitur.

NOMINALES communiter negant distinctionem actionis, seu causalitatis efficientis ab ipso effectu producto: idemque tenentur negare consequenter, quotquot negant distinctionem vnionis à materiâ & formâ; eadem enim est utrobique ratio. Ideoque contra illos in hac Subsectione statuo PRIMAM CONCLUSIONEM. Causalitas causæ creatæ distinguitur à causâ & effectu, quando hic non pendet essentialiter ab eâ causâ. Hæc probanda est eodem argumento, quo supra distinctionem vnionis ostendimus. Prius tamen aduerto, malè à nonnullis hanc nostram sententiam inde suaderi, quod actio, quæ hodie conseruatur creatura, potuit separari ab hesternâ, eò quod potuerit hodie perire res, quæ heri exstiter; ergo hæ actiones, & inter se, & ab effectu distinguuntur. Aduerto, inquam, argumentum hoc nullum esse: eo enim etiam probaretur, essentiam hodiernam distinctam esse ab hesternâ, potuit enim esse hesternæ essentia sine hodiernâ. Respondeo ergo, eo solum probari, durationem actionis esse distinctam: eadem enim actio est heri & hodie, licet durare hodie sit ab eâ separabile, de quo infra Libro quarto.

Reiecto ergo hoc argumento, sic Conclusio- nem probo. Potest esse in rerum naturâ hæ causa, & hic numero effectus, quin hæc producat illum, & ille producat ab hac; ergo hoc, quod est hunc effectum produci ab hac causâ, aliquid est distinctum ab illâ, & ab effectu etiam simul sumptis. Consequentia est euidentis. Antecedens probatur, quia ignis A. qui in primo instanti producit ignem B. in secundo instanti non illum producit, tunc enim ignis B. conseruatur à solo Deo, & tamen in secundo instanti manet in rerum naturâ & ignis A. & B. ergo potest ab utroque separari hoc, quod est vnum produci ab alio. Præterea hic numero homo, qui de facto à Ioanne productus est, potuit vel naturaliter vel miraculose ab altero homine produci; ergo hoc quod est actu produci ab hac causâ, aliquid est distinctum ab illâ & effectu simul sumptis.

Respondebis Primò: Etiam ipsa actio est effectus causæ, & tamen producit per seipsam sine aliâ actione intermediâ, ergo etiam effectus poterit produci seipso sine actione distinctâ. Hanc solutionem quære Disputatione IV. à numero